

SW 1814 ^a
CAROLI LACHMANNI


ORATIO

IN RECTORATV HABITA

DIE III MENSIS AVGUSTI

IN MEMORIAM FRIDERICI WILHELMI III

REGIS BEATISSIMI



BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS G. REIMERI

A. 1844.

A quo principio, A. A., his proxime praeteritis diebus omnes boni etiam familiares sermones exordiebantur, idem mihi ad vos dicturo sumendum esse sentio, nisi aut justissimam vestram expectationem frustrari aut ipse me fiducia ea quae proprie huius diei sunt apte ac decore agendi spoliare velim. Quis enim ferre dicentem potest, quis grata auditoribus se prolatum sperare, nisi ante omnia id quod omnium mentes vehementissime afficit attingit? Superioribus annis ad defuncti regis, rerum nostrarum auctoris beneficentissimi, felicem memoriam recolendam laeti convenimus: sed nunc demum perspicue intelligimus quam justa causa tum illi ob praeterita beneficia laetitiae indulserimus: nam ut praesentibus bonis et

regis augustissimi, felicitatis nostrae conservatoris et amplificatoris clementissimi, summis beneficiis tum quodque commovebamur, ita nunc, cum tam prope fuerit ut eum amitteremus, demum videmur nobis tota mente sentire veram et unicam laetitiae nostrae causam in eo positam esse quod eum vivum salvum sospitem habemus. Quod autem in illud summum fortunarum nostrarum discrimen inaudita inter nos profligati hominis pravitate et vecordia deducti sumus, poterit fortasse nostrae apud externos famae nocere: nobis satis constat verendum non esse ne Germanorum pietas ac simplicitas ita a maioribus degeneret ut non modo scelera sed etiam unius immanitatem imitentur. Multo magis nostrae naturae convenit ut per pericula mutui amoris affectus crescat et corroboretur. Nam in veris periculis hominum animi faciunt quoddam caritatis atque odii experimentum; quandoquidem, ubi nihil humanis viribus effici sed omnia summi numinis arbitrio geri confitendum est, mendacia jocosa frivola restinguuntur, veri ac puri sensus et totam mentem occupant et voce gestu factisque in veritatis significationem erumpunt: tum postea quam illa pericula transierunt, memoria verum affectum, quo mens semel gravius concussa est, firmiter retinet nec facile patitur a sese

discedere. Quam ob rem illum diem qui, nisi divina providentia nobis mirabiliter adfuisset, funestus futurus erat, nunc poterimus ab eventu fortunatissimum praedicare. Nam illo die et ea quae in ipso scelere praesens fuit multitudo, cum dolorem suum vocibus et acclamatione testabatur, et nos qui auditu exitum facinoris atrocissimi accepinus, illi ipso momento, nos paulo lentius quidem, sed eadem utrique mentium commotione, id penitus defixum in pectoribus nostris sensimus, quod nulla aetas, nulla adversitas, nulla denique nostra temeritas, e nobis evellere poterit, nos omni tempore paratos esse et capita et bona nostra pro optimi regis salute ac prosperitate, quae nostra est, gravissimis quibusque periculis libenter exposituros esse. Neque vero regem augustissimum ipsum aliud a nobis expectare, etiam verba eius, quae nobis in quibus ea coram audire contigit rettulerunt, fortitudinis et magni animi plena testantur. Quibus cum sese dixit in civium suorum fidelitate tam secure adquiescere ut in unius cuiusque gremio caput suum fidenter collocaturus sit, quid aliud dixit quam memorem sese illius diei, cuius oblivisci nunquam poterit nec volet, redditurum pro fide fidem, pro crescente amore securitatem, pro officiis prompto animo praestandis bene-

ficia? Quae omnia uti nobis quem admodum volumus cumulatiora semper contingant, faxit, qui et voluntatem praestat et effectum, deus optimus maximus.

Haec, A., quae hoc tempus postulare videbatur, nulla arte nulloque ornatu praefatus sum: cetera me ex officio agere incipientem etsi cum hic sollemnis dies tum huius auditorii splendor vehementer movet (nam diei longam fatorum recordationem referenti gravissimam orationem deberi intellego, vestrae autem vel dignitati vel amori nulla nisi suavia et ornata verba convenire sentio), tamen ut nihil eorum quae ab oratore postulatur praestare aut velim aut possim, humanitati iudiciorum vestrorum me satis facturum confido, si et argumentum de quo me dicere oportet, quale sit, et me ipsum qui apud vos dicturus sum, qui sim, pro benevolentia vestra et sapientia considerabitis. Illud quod minus est prius dicam, ne forte alieno loco illuc revertar, de persona mea. Per multos annos hoc ipso die ex hoc eodem suggestu virum amplissimum, qui est orator universitatis publice constitutus, beatissimi regis, dum vivebat, virtutes varie eleganter acute ornate praedicantem audistis, modo ut res exigebat cum vi et vehementia, modo leni ac moderato orationis cursu. Nunc eiusdem regis

memoria, postea quam ipse e terris excessit, non oratori celebranda commissa est, sed rectori. In rectore autem eligendo cum multa spectentur quae in oratore eadem esse debeant, probitas, fides, pietas, amor patriae, et in universitatem eiusque cives studium, tum illud unum proprie, quod magistratum efficit, quaeritur, quam idoneus negotiis et rei publicae gerendae esse videatur: sed siquis ore et eloquentia et facultate dicendi collegis suis antecellat, a nullo propterea rectoratum melius gesturus esse existimatur. Itaque mihi ne dignitatem quidem muneris sui rector servare videbitur, si in hoc oratoris suggestu positus agere oratorem volet. Licebit ei sane vel doctorem agere vel magistratum, sive aliquid ad sua doctrinae studia sive ad rem publicam nostram quod pertineat sine ardore leniter atque remisse dicet: oratorias artes ab officio eius longe sepositas non modo appetere sed ne admittere quidem debet. Exposui, A., sententiam meam, qua ductus a mea persona pulchram et ornatum orationem alienam esse existimo: nunc breviter dicendum est cur omnia oratoria formata artificiosa multo etiam magis ab huius diei sollemnibus eorumque primario argumento abhorreere judicem. Nul- lam per haec sollemnia rite celebranda gratiam laudem-

verpetimus, sed optimi regis, scholae nostrae conditoris, memoria renovanda aeternorum eius in nos beneficiorum recordamur: cum defunctis autem quae causa esse potest cur non candide sincere simpliciter sed oratoria arte infectis verbis agamus? Quis eos qui jam omnia vana omnemque mortalitatem exuerunt, quales cum viverent fuisse intellegit, non tales apud alios verbis suis repraesentare volet, nisi ipse qui de iis loquatur vel obscurus sit vel malevolus? Hoc quod dico ad oratorem bonis obtrectantem pertinet: nam adulatorum nimiam laudem et adsentationem rex noster ne vivus quidem ferebat; ut si quis eum rebus humanis functum ultra verum et justum efferre voluerit, mihi etiam manes eius inexpiabili modo offensurus esse videatur.

Satis dixi ut me non tam oratorem haberetis quam earum rerum quae mihi mandatae sunt actorem, primum quidem gratiarum rei p. nostrae conditori defuncto debitarum, tum praemiorum ipso quondam augustissimo rege auctore ab ordinibus nostris adsignatorum victoribus rite dividendorum.

Nunc gratiarum actio nulla, si regis defuncti indolem, qualis fuerit, recte perspicio, ipsi exoptationi atque acceptiori esse poterit quam quae fiat non tam

verbis et praedicatione quam animo et factis. Satis igitur fecero, si aeterna eius merita ac beneficia a qualibet parte leviter attigero, et me cum collegis et commilitonibus carissimis officiorum nostrorum paucis admonero. Repetam igitur unum vulgatissimum quidem, sed adulescentium animis, qui jam oblivisci videntur, sapissime inculcandum; hoc dico, quam magnae, quam strenuae atque constantis, quam supra omnia humana et peritura elatae mentis id consilium fuerit, quo ille augustissimus auctor nostram universitatem esse jussit et in vita constituit illis ipsis durissimis ac desperatis temporibus. Vos, commilitones carissimi, qui illa tempora non vidistis, si nobis senioribus non vultis credere, scriptis permultis scriptorum eorumque simulum corruptelam cognoscetis, rebus ipsis et institutis, sceleribus testatissimis, certis pecuniarum vel imperatarum vel ablatarum numeris, miseriam et inmanitatem illius temporis metiemini. Sed dolor et indignatio constantiam alit et mentes acuit. Nolite recte a me dicta perverse accipere: non laudo eos, sed detestor, qui parvorum malorum attactu vehementer excandescunt, eisque evertendis quae homo sanus declinarét furibundi machinas adhibent, nec vim nec dolum malum sibi turpem putantes; quorum importuna

perulantia nihil efficitur nisi ut recta corrumpant, vera deleantur, iusta conculcentur. Nam nulla tanta indignitas est, quae hominem probum et prudentem ad extrema audenda adigere debeat, nisi cum fraudes insidiae facinora omnem simplicitatem honestatem humanitatem justitiam represserunt: nulla tanta mala sunt, si modo bona sibi admixta habeant, quae non malit suo vigore suaque bona causa confidens constantia perferre ac tolerare quam pravis subruendis bona deducere in periculum: nulla tam fortia tamve plausibilia inventa, nulla tanta promissa libertatis ratione simplicissima ac fere stultissima vindicandae a vulgaribus et vilissimorum dominorum servituti addictis ingeniis proferuntur, quin frangantur aut in gravi et improviso casu aut ad illa rara atque mirabilia excelsorum animorum et virtutum quasi supra humanam sortem positarum consilia; quae postea quam, vulgo alia omnia expectante, vi quadam divina in lucem prodierunt, tum isti inanes vana promittentium strepitus aeternae oblivioni tradendi conticescunt. Inter ea autem nobilissima ac paene divina consilia, quae illis temporibus, cum dolor ut dixi acuebat ingenia et indignatio roborabat mentes, in perennem felicitatem nata sunt, huius nostrae universalis constitutio locum haud quamquam

infimum obtinet. Quid enim putamus in tali tam perditio rerum statu generosius ac liberalius cogitari potuisse, quam ut animis ad optima quaeque excolendis pravitatis materia sensim minueretur, ut ad libertatem instituendis excitandisque potestas fieret tam propriae quam alienae servitutis excutiendae, ut ex ipsis regni penetralibus feliciter accensi atque nutriti ignis scintillae in omnes provincias diffunderentur, quibus quidquid ubique nobile et generosum esset lactissime exardesceret? Hoc igitur sapientissimo ac saluberrimo consilio capto rex electos ex cuncta Germania magistros litteris illustrandis claros et ad studia adolescentium excitanda sollertes congregavit, acerbis magnificis, instrumento amplissimo, prope maioribus quam tempora patiebantur stipendiis, et doctores et concurrentem juvenum multitudinem liberaliter adjuvit. Quibus eximiis beneficiis sustentati et aucti tam seniores quam adulescentes quid tum ad vindicandam patriae libertatem animis in omnem fortitudinem ac pietatem formati, multi etiam in armis, contulerint, nunc dicere nihil attinet. Ex illo autem qui transierunt anni triginta quinque (nam post quartum decimum ab hodierno diem in ipso lectionum aestivarum fine septimum lustrum condemus) per hoc tempus quae vel prospera vel ad-

versa nostrae universitati venerint, longo sermone enarrare nolo: tantum dico, siquis hodiernum statum consideret, eum multo plura bona in nobis inventurum esse quam prava, neque nos adhuc iis beneficiis indignos esse quibus res nostrae mirifice auctae sunt olim et nunc in dies magis augentur regis nostri augustissimi liberalitate, cuius nunc amplio rem fieri mentionem ab his sollemnibus alienum duco, amoris quidem ac venerationis adusuetam significationem praetermittere non possum, nedum hoc tempore quo vel ipsum nomen eius audire suave est. Magistrorum quibus universitas nostra illustratur multitudinem ipsi miramur, nisi quod maxima et celeberrima in quoque genere nomina huc conveniunt, nec fere ulla litterarum pars superest cuius addiscendae summa copia non fiat. Studentium numerus longe supra ceteras Germaniae academias; quem qui hac aestate valde de crevisse dicunt, aniliter rationem ineundo fallunt; industria in longe maiore parte laudanda, mores ut semper ita nunc ab atrocitate rixa nequitia quam multis aliis locis puriores.

His omnibus sane merito gloriari possumus: sed quoniam probos homines magis decet vitia sua cognoscere quam virtutes, duas res dicam quibus mihi videmur

hodie ita claudicare ut neque promissis nostris neque aliorum expectationi effecta satis respondeant. Dicam igitur non deperisse quidem ex nobis (id enim probrosum esset) sed nimium deminutas esse cum maximo damno nostro cum vires animorum tum pudorem. De viribus et vigore ita sentio, non deesse quidem nobis sedulitatem diligentiam subtilitatem: ita in omnibus litterarum generibus singula etiam minima laudabili cura et religione pertractamus: sed quamvis omnibus paritis atque instructis sollertissime utamur, tamen rarius quam in tam amplo apparatu speres insignis aliqua vis ingeniorum eminet, quae divino quodam instinctu ex illis summa cum ratione dispositis nova mirabilia sublimia eliciat, quibus abscondita recludantur et obscura novo lumine illustrentur. Jam complures anni sunt, nisi fallor, ex quo ingratus quidam torpor et litteras invasit et illas artes quibus mentes vel per adspectum vel per auditum oblectantur et eriguntur. Non quod magna et eximia litterarum vel artium opera nascentur nulla, sed et multo rarius quam expectes prodeunt, et antiquiorum justa admiratio ac studium consenescit, et vulgaria nullaque eximia virtute insignia, postea quam magno cum strepitu prolata sunt, iis qui se eadem facile effecturos sperant blandiuntur et per breve tem-

pus in honore sunt, mox, ut antiquus poeta dixit, quasi solstitialis herba repentino exorta repentino occidunt. Hic saeculi morbus quibus ex causis oriatur, quaestio difficilis est, neque quibus penitus tollatur prompta remedia sunt: non tamen nihil nos iis solaciis quae in litterarum usu posita sunt adhibendis efficere possumus. Ergo pergamus quidem ea quae olim eximie inventa sunt tam diligenter quam solemus excolere et usque ad minutissima persequi, sed paulo saepius quam multi solent haec minuta quam summam faciant colligamus, neque ea tantum per se valere meminimus quantum quod a maioribus ac sublimioribus apta sunt, sive his jam antea inventis lucem addant, sive ad incognita et viribus auctis inveniendatendere et quasi viam facere videantur. At illud alterum quo nos defici dicebam ut nanciscamur in nostra positum est potestate. Quod ut uno pudoris vocabulo plane dicere potuerim, per Latinam linguam effectum est, qua nunc utror nulla lege obligatus, sed consuetudinis academicae observantia ductus, quae adhuc damna nulla sed etiam commoda quaedam haud exigua attulit. Animi viribus praeter solitum intentis ad litteras promovendas et altius tollendas opus esse dixi: in iudicandis autem singulis sententiis et nostris et

aliorum, ante quam eas aut amplectamur aut reiciamus, pudore opus est ac reverentia. Etenim verum et iustum quaerimus quidem omnes, neque in eo errare turpe est, sed petulantia ac sui fiducia errorem non cavisse. Itaque in hac perfecta rerum omnium tranquillitate, qua dei optimi maximi beneficio et sapientibus regum consiliis fruimur, non difficile est aliquas etiam res pravas et minus salutare agnoscere, quae inter tumultus ac trepidationem facile ferrentur et ne animadvertenterentur quidem: sed pudentis et verecundi est ea quae adsunt bona maiora et efficaciora malis confiteri, neque sibi improbata continuo prava et emendanda ducere, praesertim si multis probis et prudentibus laudabilia ac perfecta videantur, nec denique rerum emendandarum aliud aut principium aut finem existimare quam ut sese emendet. Hic pudor atque haec sui diffidentia sicut omnibus omnino convenit, neque ullo modo ferendi sunt qui sibi perfecti et humanitatis legibus soluti videantur, ita in primis vos decet, adulescentes carissimi, ardorem animorum juvenilem et laetum virium vestrarum florem, ne forte in petulantiam et importunitatem vertat, pudore temperare, maiores consulere, festinare vetantibus parere, castigantibus cedere, denique in rebus difficilibus ac

perplexis iudicium cohibere et ad aetatis maturitatem differre.

Jam vero cum hic pudor et illa animorum vis, ut in omni hominum vita, ita in ea quoque eius parte quae ad litterarum studia pertinet in primis locum habeat, age videamus quatenam utriusque documenta in hac libellorum commissione ordinibus universitatis nostrae visi fueritis edidisse.

PRAEMIORVM RENVNTIATIO.

His ita peractis pro salute regis augustissimi, in qua nostram salutem inesse sentimus, concipiamus preces. Domine saluum fac regem.

DOMINE SALVVM FAC REGEM.

Postremo, A. A., omnes uno ore et communi consensu debitas grates reddamus deo.

NUN DANKET ALLE GOTT.



5-A 1093

SBB



10 JUL 1943